



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. II, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 30va-32rb  
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem secundam quaeritur utrum omnium aeviternorum sit unum aevum.

Videtur quod non, quia corporalium et incorporeorum, cum sint diversorum generum, non est mensura una. Sed aevo mesurantur quaedam corporalia, sicut substantia caeli et quaedam spiritualia, sicut angeli et animae, qui sunt diversorum generum; ergo videtur quod non sit unum aevum tantum.

Praeterea, cum aevum sit nomen durationis, quorum est unum aevum est una duratio. /30vb/ Sed omnium non est una duratio, quia quaedam post alia esse incipiunt, ut patet maxime in animabus humanis; ideo etc.

Contra. Simplicius est aevum quam tempore et propinquius aeternitati; sed omnium temporalium est unum tempus; ergo et omnium aeviternorum unum aevum.

Quia circa istam quaestionem sunt tres solemnes opiniones, ideo sic procedendum est in ista quaestione. Primo ostenditur quomodo omnium aeviternorum est unum aevum tantum. Secundo tanguntur obiectiones aliquorum circa opinionem istam. Tertio etiam recitabitur opinio quorundam dicentium quod impossibile est esse unum aevum tantum.

Circa primum sciendum quod cum ex cognitione corporalium deveniamus in cognitionem spiritualium creaturarum, unitatem ipsius aevi oportet nos investigare ex unitate ipsius temporis. Secundum Commentatorem autem *Super IV Physicorum* unitas temporis ex unitate motus primi mobilis accipitur, quia tempus comparatur ad motum illum non tantum sicut mensura ad mensuratum, sed sicut accidens ad subiectum. Sed quia accidens unitatem et multitudinem recipit a subiecto, ideo cum motus primus sit unus et continuus, est tempus unum et continuum, quia etiam unumquodque mesuratur simplicissimo sui generis. Cum motus simplicissimus sit motus caeli, ipse erit mensura omnis motus alterius; ideo tempus quod mesurat motum illum a quo etiam recipit unitatem etiam mensura erit omnis motus alterius, et ita suo modo erit de aevo. Cum enim aevum nihil sit aliud quam duratio et mensura esse aeviterni, quantum ad permanentiam in illo est istud aevum tamquam in subiecto et mensura, quod est simplicissimum inter omnia aeviterna, quia unumquodque minimo sui generis mesuratur; et quia illud quod est simplicissimum non est nisi unum; ideo aevum quod est mensura et accidens esse ipsius simplicissimi aeviterni et per illud esse est mensura aliorum, non potest esse nisi unum.

Modo contra istam positionem fit tale argumentum, scilicet quod non oportet ad hoc quod motus primus sit mensura omnis motus, quod minus habeat de motu et quod sit simplicissimus. Arguit sic. Si illud quod habet minimum de motu est mensura omnium motuum, ergo quod habet minimum in entitate est mensura omnis entis. Sed hoc est falsum, quia Deus, qui est maxime ens, est causa et mensura omnis entis. Et dicendum quod inter omnia quae moventur, illud quod minus movetur est caelum, cuius ratio est quia habet tantum motum locale, qui est tantum per comparisonem ad extra. Unde talis motus de re nihil variat.

Item quasi nihil est ipsi caelo de loco: non enim proprie caelum est in loco, cum cetera locale habeat. Idem etiam patet ex hoc quod non movetur secundum se totum, sed magis secundum partem sive dispositionem.

Item motus proprie est de uno in aliud; sed ibi est ab eodem in idem; ideo minimum habet de motu et per consequens est simplicissimus.





GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. II, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 30va-32rb  
transcribed by Andrea Colli

Ad argumentum dico quod non valet, quia in motu sunt duo consideranda, scilicet potentia et actus, quia motus est actus entis in potentia. Modo actus habet rationem formalem in motu, cum ponatur in recto, sed potentia habet rationem materialem, cum ponatur in obliquo. Quod igitur minus participat de motu quantum ad id quod est materiale, scilicet potentiam et plus quantum ad id quod est formale scilicet actus, perfectius est et mensura aliorum. Sed habere minus de entitate non est perfectius, cum entitas de ratione sua dicat perfectionem. Et ideo quod mensurat entitatem aliorum est maxime ens. Non tamen oportet quod illud quod mensurat motus alios sit maxime motus quantum ad id quod est materiale in motu, de quo loquimur.

Secundo dico sic. Quod cum motus sit actus imperfecti, datur rei in supplementum perfectionis. Unde quia res non habet de se et ex se perfectionem suam, ideo acquirit eam per motum. Unde quanto aliquid est perfectius, certe tanto minus indiget motu. Ideo quanto aliquid minus habet de motu, tanto magis mensura aliorum motuum potest esse. Sed entitas de se non dicit imperfectionem. Unde quanto aliquid perfectius est, tanto magis est ens; et ideo quanto magis est ens, tanto magis sibi convenit ratio mensurae. Sic ergo patet unitas aevi.

Modo sunt aliqui qui dicunt quod, licet sit unum aevum quod est mensura esse simplicissimi aeviterni, tamen illud simplicissimum aeviternum, quo mensurantur alia, non est angelus primus, sed caelum empyreum. Unde dicunt quod, sicut omnia mobilia mensurantur a primo caelo mobili, ita omnia immobilia /31ra/ a caelo empyreo immobili, et rationem assignant triplicem. Prima est quod, si illud, quod minimum habet de motu est mensura aliorum quae aequaliter moventur, cum caelum empyreum sit omnino immobile, angelus autem moveatur secundum affectiones, magis ponendum est quod secundum permanentiam caeli empyrei mensurentur alia aeviterna quam secundum permanentiam angeli.

Secundo arguunt sic. Illud quod habet causalitatem super omnia alia non mensuratur ab eis, immo potius est mensura aliorum. Sed caelum empyreum habet causalitatem ad minus continentiae super angelos; ergo non mensuratur ab eis, sed potius angeli ab eo.

Tertio sic. Illud magis habet rationem mensurae, quod est perfectius. Sed caelum empyreum est perfectius quam natura cuiuscumque angeli, cum sit glorificatum, non autem angeli secundum naturam suam. Ergo caelum empyreum magis habet rationem mensurae quam angeli.

Sed ista non valet, quia aevum est mensura esse simplicissimi et perfectissimi secundum suam naturam. Sed constat quod caelum et quodcumque aliud corpus non est perfectissimum, sed magis infimum est, in quantum corpus quam quicumque angelus. Et ideo, quamvis sit super ordinem naturae corporalis, quia glorificatum, non tamen supra naturam angelorum, cum angelus sit natura superior et nobilior et etiam gloria. Et per hoc patet responsio ad tertium.

Ad primum dicendum quod aevum est mensura non affectionum angeli, sed permanentiae vel durationis esse. Affectiones enim angeli mensurantur non aevo, sed tempore, tamen aliter quam ista mobilia mensurantur. Et quia in angelis nobilior est permanentia esse quam in quocumque corpore, ideo magis mensurantur omnia aevo angeli supremi quam e converso.

Ad secundum dico quod hoc accidit angelis, quod contineantur a corpore caeli empyrei. Hoc enim non debetur eis secundum suam naturam, sed magis e converso.





GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. II, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 30va-32rb  
transcribed by Andrea Colli

Modo sunt aliqui dicentes totum oppositum positionis primae quantum ad aevum. Distinguunt enim de mensura, quod est quaedam mensura extra genus, scilicet aeternitas, et illa est una ; alia in genere scilicet aevum, et illa diversa est secundum diversos angelos, nec plures angeli conveniunt in una tali mensura. Et ad hoc adducunt quattuor rationes.

Prima talis est. Sic se habet ad diversa aeviterna sive angelos ipsum aevum, sicut ipsum quando ad diversa quandalia vel temporalia; sed diversorum quandalium, sive temporalium sunt diversa quando; ergo diversorum angelorum sive aeviternorum sunt diversa aeva. Et confirmant rationem, quia secundum quod res praecedit in nobilitate, secundum hoc magis accedit ad rationem mensurae extra genus etherogeneae. Videmus enim quod id quod est infimum in entibus habet mensuram homogeneam, scilicet qualitas, ut patet in coloribus qui mensurantur albedine, tamquam simplicissimo illius generis. Quantitas autem, quae tenet gradum superiorem et quasi medium, habet mensuram partim homogeneam et partim non, quia unitatem, quae non est in genere quantitatis, nisi per reductionem. Ergo substantiae spirituales tamquam superiores habebunt mensuram extra genus et aequivocam ; sed illa est aeternitas; ergo sola aeternitas una existens respondet eis pro mensura.

Secundo arguunt sic. Si duratio supremi angeli sit mensura angelorum, cum ille supremus fuerit Lucifer qui modo est daemon, tunc diabolus esset mensura angelorum bonorum, quod est inconueniens. Si autem dicatur quod supremus in gratia, ergo anima Christi esset mensura omnium aliorum.

Tertio sic. Illud dicitur esse mensura aliorum, quod est prius et simplicius, ita quod non potest esse simplicius eo; sed constat quod super quemcumque supremum potest creari superior. Ergo qui nec est supremus aliorum mensura esse non potest.

Quarto sic. Cum mensura habeat rationem causalitatis super mensuratum, nihil potest mensurari ab alio, quod ab eo non causatur. Sed unus angelus non causatur ab alio, nec unus super alium habet causalitatem; ergo unus angelus non potest esse mensura aliorum.

Ad omnia ista respondendum per ordinem.

Ad primum, cum dicitur quod sicut se habet quando ad diversa quandalia sic aevum ad diversa aeviterna, dico quod ipse petit quod debet probare, quia hoc quaerit quaestio, utrum sint diversa aeva diversorum aeviternorum, sicut sunt diversa quando diversorum temporalium. Si autem per quando intelligas tempus, licet dicas falsum, concedo, et dico tunc quod diversorum temporalium est unum tempus et per consequens diversorum aeviternorum est unum aevum. Non enim quando et tempus sunt idem, quia quando est quaedam adiacentia temporis in determinato spatio circa aliquod corpus et illud bene numeratur secundum diversa /31rb/ corporalia vel temporalia. Non autem tempus, cum non sit in temporalibus, sicut in subiecto, sed in motu primi mobilis, ut dicitur IV Physicorum. In aliis autem est ut mensura in mensuratis; sed una mensura bene est diversorum mensuratorum. Sic dico quod aevum non mensuratur secundum numerum diversorum aeviternorum, cum in eis non sit sicut in subiecto, sed secundum primum et simplicissimum. Et quando tu dicis quod infimum in entibus habet mensuram homogeneam, dico quod istud argumentum est contra eum, quia quantitas est infimum in entibus, quae secundum eum habet mensuram etherogeneam, quia licet quantitas sit secundum aliquid nobilior,





GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. II, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 30va-32rb  
transcribed by Andrea Colli

tamen similiter quantum ad actualitatem est nobilior qualitas, quae se tenet ex parte formae, quantitate quae se tenet ex parte materiae.

Ex hoc formo rationem eorum contra eos: quantitas quae tenet infimum gradum habet mensuram non homogeneam; qualitas quae tenet nobiliorem gradum habet mensuram totaliter homogeneam. Ergo substantiae spirituales, quae tenent ad hoc nobiliorem gradum, habent mensuram multo magis homogeneam. Sed aeternitas non est talis mensura, sed aevum. Ergo substantiis spiritualibus non respondet aeternitas pro mensura, sed potius unum aevum. Et si tu dicas, quod ego nimium salto, dico quod facio sicut ipse. Sicut enim saltavit a quantitate ad substantiam spiritualement, ita salto ego contra eum a qualitate ad substantiam spiritualement.

Ad secundum de daemone Lucifero dicunt aliqui quod non reprobato quod cum aevum sit participatio aeternitatis, quanto aliquid est magis in participatione aeternitatis, per prius mensuratur aevo. Et ideo, cum angelus bonus sit magis in participatione aeternitatis quam ille daemon qui per peccatum corrumpitur, non sequitur quod angelus bonus mensuretur aevo daemonis, sed potius e converso. Vel aliter dicendum, quod non est inconueniens quod angelus malus sit mensura aliorum, quia aevum est mensura permanentiae naturalis sive permanentiae esse quod consequitur ad naturam, et quia natura manet in daemonibus integra et perfecta, nec minuitur, et hoc modo est Deus in daemonibus, non est inconueniens, si natura eorum sit nobilior, quod quantum ad hoc sit mensura aliorum. Illud de anima Christi non est ad propositum, quia loquimur hic de perfectione naturali, non accidentali vel gratuita.

Ad tertium dico per interemptionem: immo accidit illi angelo qui est mensura omnium aliorum, quod eo fiat nobilior angelus, quia si crearetur, tunc esset mensura aliorum; verbi gratia: si Deus faceret stare primum mobile et moveretur orbis solis, constat quod tempus transiret ad orbem solis a primo mobili, quia tunc esset, sicut in subiecto in motu orbis solis, ita dico in proposito.

Ad quartum dico quod non requiritur quod mensura sit causa mensurati, sed sufficit quod sit superior, sicut motus caeli nullam habet causalitatem super quattuor elementa quantum ad essentialia eorum, licet possit habere quantum ad accidentalia et tamen est mensura eorum, ita dico hic.

Ad argumenta ergo principaliter in oppositum facta dicendum ad primum quod, quamvis corporalia et incorporalia sint diversa genere, quia tamen possunt convenire in una permanentia essendi, possunt habere unam mensuram.

Ad secundum dicendum quod ad hoc quod aliqua mensurentur in una mensura, non oportet quod simul incipiant, sicut patet de omnibus temporalibus, quorum una est mensura omnium propter primum.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum creaturae spirituales, sicut angeli, inceperant vel fuerant creati ante mundum corporeum vel visibilem.

Dicendum quod, quamvis circa hoc sint diversae opiniones, videtur tamen probabilius quod non, quia nulla pars perfecta est separata a suo toto. Sed angeli sunt pertinentes ad universum, sicut pars eius nobilior, ergo separati ab universo fuissent imperfecti.





GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. II, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 30va-32rb  
transcribed by Andrea Colli

Sed Dei opera sunt perfecta; ergo non decuit divinam sapientiam eos creare ante universitatem rerum sive ante mundum corporeum vel visibilem.

Circa distinctionem istam quaeritur utrum possint esse plures angeli eiusdem speciei.

Videtur quod sic, quia sicut angelus est forma simplex, ita et animae. Sed plures animae, immo omnes animae rationales, sunt eiusdem speciei. Ergo et plures angeli.

Praeterea ad divinam perfectionem pertinet perfectiora in entibus magis multiplicare, ut sua bonitas magis diffundatur. Sed invisibilibus creaturis invenitur magna multitudo participantium eandem speciem. Ergo videtur quod hoc multo magis sit in angelis.

Contra. Perfectior est angelus quocumque corpore. Sed aliquod corpus est quod propter suam perfectionem nihil suae naturae habet extra ipsum, ut est corpus caeli secundum Philosophum I *Caeli et mundi*. Ergo multo minus extra unum angelum est aliquid suae speciei»; sed talia non multiplicantur secundum numerum, ergo etc.

Responsio. Ut magis appareat veritas huius /31va/ quaestionis, sunt tria videnda.

Primum est unde causetur multitudo individuorum sub una specie. Secundo ex hoc ostenditur quod simpliciter impossibile est plures angelos esse sub eadem specie. Tertio tanguntur diversae obiectiones circa hoc.

Circa primum sciendum quod, cum ens et unum convertantur ab eodem, habet res unitatem et esse, et quia unum est in se indivisum et divisum ab aliis, eo autem, quo aliquid dividitur ab aliis», individuatur in se, oportet a primo ad ultimum quod ab eo, a quo aliquid habet esse, habeat etiam individuari. Res autem composita ex materia et forma constituitur in esse per materiam et formam, quia materia et forma intrans constitutionem rei; oportet ergo quod individuatio causetur vel a materia vel a forma. Non potest autem causari a forma secundum se, ut forma, quia sic forma est communis. Ergo oportet quod hoc sit a forma ut est in materia; sed non ut est in materia speciei, quia illa etiam est communis; ergo oportet ex hoc scilicet quod individuatio sit a forma, ut est in materia individui, quae habet rationem primi subiecti. Prima enim dicitur substantia, quae proprie et principaliter dicitur 'substare'. Unde materia et forma mutuo se coartant in materia individui, quia materia, antequam recipiat formam, est in potentia ad multas, sed una recepta per illam terminatur; et similiter forma in se considerata communis est ad multas, sed per hoc quod recipitur in materia fit determinata huius rei, sicut et accidens contrahit subiectum, et e converso. Sed quia materia secundum se est in potentia essentiali ad formam et nihil reducit se ipsum de potentia ad actum; ideo requiritur solum ipsum agens singulare habens formam in materia, per cuius actionem simile producat ex simili. Cum ergo forma talis agentis sit limitata per materiam, in qua recipitur, habebit virtutem et operationem limitatam; ergo producit effectum limitatum quantum ad materiam et formam. Ergo causa individuationis istius compositi certe est causa limitationis alterius.

Hiis praemissis quando quaeritur quid est causa individuationis istius compositi singularis, dico quod, si loquaris de causa extrinseca, sic agens est causa individuationis. Si autem loquaris de causa intrinseca, tunc distingo, quia vel loqueris de causa per se vel de causa sine qua non.





GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. II, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 30va-32rb  
transcribed by Andrea Colli

Si primo modo, sic dico quod materia individui, quae habet rationem primi subiecti, est causa individuationis. Sed quia materia non intelligitur distincta a materia, nisi ut est sub quantitate dimensioniva, ideo concomitative est individuatio a quantitate sicut a causa sine qua non. Non solum autem a materia vel a forma ut intelligitur sine quantitate dimensioniva, quia certe, quamvis forma recepta in materia circumscriptis per intellectum dimensionibus haberet rationem individui existentis in genere substantiae, tamen tale individuum primum non esset demonstrabile ut hic et nunc sine dimensionibus determinatis. Et ideo dicitur quod materia cum dimensionibus est causa individuationis, non quia dimensiones individuationem causent, cum accidens non esset suum subiectum, sed per dimensionem numeratur individuum hic et nunc, sicut signum proprium individui et inseparabile. Quia igitur forma materialis existens in individuo coarctatur per materiam et e converso, et tamen secundum se pluribus est communis, cum in eadem parte materiae non possit esse, nisi una forma numero, nec per istam materiam signatam solvatur amplitudo et communicabilitas ipsius formae, inde est quod alias diversas partes materiae nata est perficere talis forma. Et quia hoc non potest facere manens eadem numero, inde est quod oportet eam plurificari secundum numerum. Et sic patet primum.

Ex hiis statim apparet secundum declarandum, quia ea, quae conveniunt in specie, differunt autem numero, conveniunt in forma et materialiter distinguuntur. Amota enim distinctione materiae, impossibile est intelligere diversas formas secundum numerum tantum. Sed in angelis non est materia, cum non sint compositi corpores anima rationali, de qua probatum est, quod caret materia. Ergo impossibile est esse plures angelos unius speciei.

Et confirmo rationem, quia cum accidens distinguatur per substantiam ; sicut impossibile est esse plures albedines separatas, ita, cum distinctio secundum numerum sit per materiam, amota ea, impossibile est formam secundum numerum plurificari.

Secundo dato quod in eis esset materia, ad hoc non essent plures eiusdem speciei, cuius ratio est, quia cum materia sit potentia secundum se, omnis distinctio, quae est per materiam non subiectam quantitati, est differentia per potentias diversas. Sed diversitas quae est per potentiam materiae est diversitas non tantum speciei, sed etiam generis, ut habetur IV Metaphysicae. Ergo si in angelis esset materia secundum quam differrent ad invicem, cum illa careret quantitate, secundum illam materiam different non tantum specie, sed etiam genere.

Modo contra istam positionem arguunt aliqui et dicunt eam esse contra fidem catholicam, quia cum multitudo angelorum in eadem specie non sit opus naturae, sed potius divinae potentiae, dicere quod impossibile /31vb/ sit duos angelos esse eiusdem speciei, est dicere non hoc Deum non posse facere vel fecisse.

Ad rationes dicunt quod non concludunt, quia primo dicunt quod in angelis est materia spiritualis non subiecta quantitati in eadem in specie, cum materia alterius angeli non distincta secundum diversam rationem potentiae, ut dicit secunda ratio, sed per multiplicationem numerabilitatis, sicut cum unus punctus fit duo puncta. Quod autem dicitur de albedine, quod impossibile est plures albedines separatas esse, dicunt quod est falsum; immo in sacramento altaris in diversis altaribus sunt diversae albedines separatae. Sed illa non valet. Non enim est contra fidem quod Deus non potest facere quod non potest fieri, quia implicat contradictionem. Sed esse plures angelos unius speciei





GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. II, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 30va-32rb  
transcribed by Andrea Colli

implicat contradictionem ; ideo etc. Maior de se est evidens. Ad evidentiam autem minoris sciendum, quod duplex est forma: una, quae recipitur in materia; alia, quae non recipitur in materia, sed est ipsamet subsistens. Diversimode autem individuatur illae formae, quia forma materialis individuatur per hoc quod habet esse in hac parte materiae, per quam contrahitur et limitatur ipsa forma; ex quo habet habitudinem ad hoc quod perficiat aliam partem materiae, cum per illam partem materiae sua communicabilitas non sit impleta nec saciata. Et quia diversas partes materiae non est intelligere sine dimensionibus quantitatis, «ideo dicitur quod dimensiones sunt radix individuationis. In illo ergo subsistente, quod est ens per formam, est duo considerare, scilicet ens et esse, et utrique respondet propria mensura. Mensura autem entis est locus, sed mensura esse transmutabilis est tempus; ergo mensura huius entis est hic locus, et mensura huius esse est hoc tempus. Ideo dicimus, quod condiciones individuationis sunt hic et nunc. Sicut igitur forma materialis individuatur per hoc, quod recipitur in hac parte materiae, ita forma immaterialis individuatur per hoc, quod non recipitur in aliquo. «Sicut igitur Deus non potest facere, quod illa humanitas numero quae recipitur in hac materia Sortis, sit humanitas in materia Platonis recepta, quia sic esset Sortem facere Platonem et per consequens Sortem non esse Sortem, sic non potest, ut videtur, facere, quod forma in esse subsistens ordine numero subsistat in duobus suppositis diversis, cum ipsa sit ipsum suppositum subsistens, quia hoc esset facere unum esse aliud, et sic sequeretur ut prius contradictoria esse simul.

Tamen quia ille articulus condemnatus est Parisius, quidam volentes sustinere quomodo Deus duos angelos posset facere eiusdem speciei, dicunt quod individuatur illa supposita per esse, quod probant sic.

Dicunt enim quod imaginandum est quod Deus secundum cursum naturae tantum dat substantiis separatis de esse quantum possunt capere secundum numerum in eadem specie; aliter non posset esse limitatio in formis abstractis, quia formae materiales, si non habent esse perfectum in uno individuo et materiali, hoc est per coarctationem materiae signatae in quam recipiuntur ; sed formae immateriales, si non habent esse perfectum secundum suam speciem, hoc est quia Deus restringit eas et non dat eis totum esse secundum exigentiam suae speciei.

Nulli autem dubium esse debet, ut dicunt, quod sicut forma materialis restringitur propter materiam in quam recipitur – ex quo sequitur quod sit multiplicis secundum numerum –, ita certe ipsa forma immaterialis restringi potest quantum ad esse, quod habet a Deo, ut scilicet Deus non det sibi rationem esse quod sibi competit secundum rationem speciei et sic possunt propter huius restrictionem plurificari sicut forma materialis propter restrictionem quae habebat a materia. Et dicendum ad hoc quod ratio non concludit, quia, cum esse respondeat et proportionetur essentiali, si essentia simplex est et esse modo secundum principia philosophiae, esse, cuiuslibet rei consistit in indivisibili, cum formae rerum sint sicut numeri. Ideo videtur quod numquam possint a Deo creari aliqua species, cui desit aliquid de perfectione essentiali speciei et tamen remaneat species; ita dico de esse, cum sit indivisibile, cuicumque communicatur, oportet quod totum communicetur. Unde videntur ymaginari quod esse substantiae separatae, quod speciei debetur, habeat quandam latitudinem, quae restringitur per hoc a Deo, quod eadem forma secundum speciem recipit unam partem ipsius esse et alia aliam, ut





GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. II, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 30va-32rb  
transcribed by Andrea Colli

sic in diversis partibus esse recipiatur diversa forma numero, quod patet esse ex dictis arguendo; hoc autem falsum est.

Quod autem dicunt quod formae materiales multiplicantur, quia in una parte materiae perfectum esse non habent, quia coarctatur per materiam, non est intelligendum quod in quocumque individuo non sit ratio /32ra/ speciei et etiam totum esse substantiale ipsius speciei, quia utrumque est indivisibile. Sed pro tanto multiplicantur, quia cum omnis forma, quantum est de se, sit communis et communicabilis omni eo quod potest eam recipere, cum materia sub ista parte quantitatis non possit totam suam communicationem satiare et totum suum appetitum, quia non est tota materia cui communicabilis est forma, cum etiam alia pars materiae possit recipere et eadem forma numero non possit in pluribus partibus esse, ideo multiplicatur. Non autem sic potest multiplicari forma immaterialis, cum esse suum non habeat partem et partem, sicut materia per quantitatem; et sic non valet.

Unde impossibile videtur simpliciter quod sit plus quam unum suppositum in una specie, quia si individuatur aut hoc est per essentiam aut per esse.

Si primo modo tunc certum est quod, ubi est una essentia, ibi est unum suppositum tantum.

Si autem dicas quod per esse quod potest multiplicari ab agente eadem forma secundum speciem remanente, contra aut illud esse est idem cum essentia et tunc idem quod prius, aut differt, et tunc, cum esse secundum se communissimum sit, non est principium individuationis in angelis.

Si autem dicas quod esse commune non individuatur, sed esse tale ipsius angeli, cum non habeat ipsum esse quod sit tale nisi per essentiam, tunc individuatio erit per essentiam. Et sic cum sit una essentia et unum suppositum, ideo videtur quod talis individuatio non potest esse in angelo, per quam possint esse plura individua eiusdem speciei.

Ad rationem autem eorum, per quam solvuunt rationem Thomae. Ex hoc quod dicunt, quod ibi est materia spiritualis non subiecta quantitati nec diversarum potentiarum in diversis, sed per multiplicationem numerabilitatis, sicut unus punctus in actu potest esse plures in potentia per separationem linearum, intentio in quo convertunt, ita dicunt, quod, sicut ipse totus punctus dividitur in plura puncta per separationem linearum, ita ipsa tota materia spiritualis habet esse in diversis angelis diversa secundum numerum, quae tamen in se est una. Dicendum quod illa est mirabilis imaginatio et videte si est tota materia in uno angelo quae in alio. Ergo principium distinctionis unius angeli ab alio ente non est ab ipsa materia, sicut si materia quae est in me esset in te, distinctio quae esset inter me et te non esset penes materiam, ita scilicet quod principium distinctionis esset materia – dato etiam quod in me et te numeraretur materia ipsa –, sed oportet necessario quod aliunde accipiatur ipsa distinctio. Ergo, cum in angelis non sit alia distinctio, nisi per materiam istam spiritualem vel per formas; cum distinctio, cuius principium est forma, sit distinctio secundum speciem, ad hoc oportet quod differant secundum speciem.

Nec valet exemplum quod adducunt in simili de puncto, quia non est intendendum quod ipse punctus in actu dividatur vel numeretur in plures lineas. Sed quia plures lineae, quando erant coniunctae in uno puncto, carebat quaelibet proportio termino, ut scilicet puncto, ut distincto solvente prohibens, id est per divisionem causatur punctus in actu qui erat in potentia.





GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. II, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 30va-32rb  
transcribed by Andrea Colli

Et praeterea causa distinctionis diversorum punctorum non est punctus ille, sed solvens prohibens, sed etiam illae lineae de quarum ratione est habere duo puncta in actu; ergo nec illa materia spiritualis puncto assimilata est causa distinctionis angelorum; ergo, si distinguitur, hoc est per essentiam tamquam per principium distinctionis.

Quod autem dicunt de albedine, quod sint plures albedines sine subiecto in sacramento altaris, dico quod falsum est; immo subiectum earum est quantitas, quae forma est sine subiecto.

Ad argumenta in oppositum. Ad primum dicendum quod, quamvis anima sit forma simplex, non tamen creatur, nec recipit esse nisi in corpore et a corpore habet esse individuatum; ideo potest numerari secundum diversa corpora quae, cum non dependeat ex corpore, ex esse suo remanet separata a corpore.

Ad secundum dicendum quod nobilitas in entibus non attenditur penes individua, sed penes speciem; et ideo non potest argui ad perfectiones rerum multitudo secundum numerum, sed secundum speciem magis.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum caelum empyreum sit corpus lucidum. Dicendum quod, quia quaestio ista supponit quod sit corpus, ideo sunt duo videnda: primo ostenditur quod sit corpus, secundo quod sit lucidum.

Quantum ad primum sciendum quod caelum empyreum esse, non potest humana ratione investigari, quia quidquid humana ratione investigatus, oportet quod subiaceat motui vel visui. Illud autem est omnino immobile nec subiectum visui. Unde quia locus congruus est beatitudini sanctorum, quae gloria excedit investigationem humanam, ideo et ipsum caelum. Potest tamen ad hoc talis ratio haberi, cum enim in remuneratione /32rb/ futura expectatus duplicem gloriam, scilicet corporalem et spiritualem, secundum proportionem gloriae spiritualis debuit etiam poni gloria corporalis. Modo a principio mundi fuit inchoata gloria spiritualis in beatitudine sanctorum angelorum, quorum aequalitas sanctis praemittitur; ideo conveniens fuit, ut tunc in principio mundi gloria corporalis inchoaretur in aliquo corpore, quod scilicet a principio fuit absque corruptione servitutis et mutabilitatis. Et illud corpus dicitur caelum empyreum igneum non ab ardore, sed a splendore; sic patet primum.

Quantum ad secundum sciendum quod, cum omnis res determinetur ex fine et finis istius corporis sit habitatio sanctorum, oportet condiciones caeli empyrei accipere secundum quod congruerit statui beatorum, propter quod factum est. Et quia illi sunt in plena participatione aeternitatis lucis et quietis, ideo decet caelum empyreum esse lucidum immobile et incorruptibile.